

terra quoque aeras leges imitata pependit.  
 est igitur tellus mediam sortita cavernam  
 aeris, e toto pariter sublata profundo,  
 nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem  
 205 undique surgentem pariter pariterque cadentem.  
 haec est naturae facies: sic mundus et ipse  
 in convexa volans teretis facit esse figuras  
 stellarum; solisque orbem lunaeque rotundum  
 aspiciamus tumido quaerentis corpore lumen,  
 210 quod globus obliquos totus non accipit ignes.  
 haec aeterna manet divisque simillima forma,  
 cui neque principium est usquam nec finis in ipsa,  
 sed similis toto ore sibi perque omnia par est.  
 sic tellus glomerata manet mundumque figurat  
 167 imaque de cunctis mediam tenet undique sedem.  
 215 Idcirco terris non omnibus omnia signa  
 conspiciamus. nusquam invenies fulgere Canopon  
 donec ad Heliacas per pontum veneris oras;  
 sed quaerunt Helicen, quibus ille supervenit ignis,  
 quod laterum tractus habitant, medioque tumore  
 220 eripiunt terrae caelum visusque coercent.  
 te testem dat, luna, sui glomeraminis orbis,  
 quae, cum mersa nigris per noctem deficis umbris,  
 non omnis pariter confundis sidere gentes,  
 sed prius eoae quaerunt tua lumina terrae,  
 225 post medio subiecta polo quaecumque coluntur,  
 [ultima ad hesperios infectis volveris alis]  
 seraque in hesperiis quatiuntur gentibus aera.  
 quod si plana foret tellus, semel orta per omnem  
 deficeres pariter toti miserabilis orbi.  
 230 sed quia per teretem deducta est terra tumorem,  
 his modo, post illis apparet Delia terris